N°. 51.

\#

Vir Nobilis.

Bredae factum cum ad breve tempus me tibi coniunxissem
re ipsa didici, quod fama cognoram: et doctum te esse; et
doctos a te viros amari: tum si quid essent in lucem, tuo
velut sinu foveri. Haec caussa fuit, cur, cum ob exhibitam
mihi apud Auraicum Principem benevolentiam, debere me
aliquid tibi arbitrarer, promiserim si quid huiusmodi nancisce=
rer dignum iudicio tuo, gratitudinis argumento aliquo trans=
mitterem. nactus sum, promissique memor libero fidem. Ab
amico poemata quaedam nova accepi: ad te mitto qui ami=
cus nobis esse, et audes, vir dispari quidem religionis, non
morum cultu. Quo fit ut sperare audeam consequuturum
me novum beneficium a te, in caussa eruditorum virorum,
inter quos tu sedem fixi. Est vero illud: ut P. Andreae
Praeposito Soc^tis^ IESU Antverpiae cum tribus comitibus
adire liceat ad villam suburbanam, urbi sive vicinam
[illegible] nuncupatam, proximaque circum loca, publica
Principis fide: ubi animum e longo studendi labore possint
tantisper laxare. Immo ipsi ingenii flores felicius pullulabunt,
fructusque proveniunt uberius. nusquam siquidem faelicius
scribi quam inter nemora et lucos, grata vobis atque viris di=
cessitudine, sententia Plinii et Taciti teste in epistola ad
eum scripta. Atque hoc quidem illis: mihi vero negotiorum,
caussa quae nostri Bredae me habere, per anni spatium aut
eius dimidium potestas sit ultro citroque commeandi. Sed id
genus beneficii singulare; sed et te iis hoc boni contingere
velle qui litteras tuo exemplo amant; et tua apud Princip-
em cui carus es, posse auctoritate impetrare, praecipue non
ignarum suam vane benignitatem, ab his quibus illam im=
petrit, posse posteris consignari. Eximium munus debita gra=
titudine prosequemur: et vota quae pro tua salute remunera=
bimus persolvemus. praeterquam quod laus ea non exigua
tua futura sit, quod Minervam tuam sic colueris, Martique
illi adversanti potueris imperare. Vale Vir Amplissime.
Antverpiae 8 X Feb. CIↃIↃCXXXVIII.

A. T.

Perstudiosus
Petrus vanden Berghe
Soc^tis^ IESU.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42aa, nr. 51
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1799

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42aa, nr. 51
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1799

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42aa, nr. 51
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1799

Nobili Viro

Amplissimoq[ue] D[omi]no D[omi]no Constantino

Huygenio Arausiensium Principi

a Secretis

Hagae Comitis

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42aa, nr. 51
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1799